



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Pvlcharem Praefectvrivm  
Amalfitanvm. Monet vt foedus cum Saracenis initum dissoluendum curet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

necessitate barbarica , & dispensatione cogente loci & temporis , exemplo etiam maiorum protulimus , agere forte tentauerit , diuinis mysteriis priuetur , quamdiu minime resipiscens , apostolico præcepto frustra permanferit inobediens . Data &c. indictione decima .

## EPISTOLA XXXVIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD DOCIBILEM ET IOANNEM.

Hortatur vt det operam , ne Christiani fœdus cum Saracenis faciant .

*Ioannes episcopus Docibili & Ioanni Hypatis.*

**D**E VOTI ONI tuæ pro labore fidei Christianæ , quam excolis , gratiarum actionibus persolutis , iterum & iterum exhortamur , vt magis ac magis fatagere & decertare , & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures : vt Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant , & solum in Deum , qui eos creauit , & non in dia-boli membra , quæ sunt filii fornicationis & vasa iræ , spem suam ponere discant . Quod cum egeris , saluabis animam tuam , & operies multitudinem peccatorum . Dicit enim beatus Iacobus : *Qui conuersti fecerit peccatorem ab errore viae suæ , saluabit animam suam a morte , & operiet multitudinem peccatorum .* Data quinto Idus Aprilis , indictione x .

## EPISTOLA XXXIX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PVLCHAREM PRÆFECTVRIVM AMALFITANVM.

Monet vt fœdus cum Saracenis initum dissoluendum curet .

*Ioannes episcopus Pulchari Præfecturio Amalfitano.*

**A**DMONEMVS vt in omni virtute tua & sapientia tua labores atque decertes , vt illi homines paganorum disrumpere pacta procurent . Quod si fecerint , nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere possumus , & pro nulla causa vel homine nos a communi vestra & eorum salute seu auxilio separabimus , nec illos aliquando dimittamus : at vero si illi hoc facere recusauerint , & con-

G iij

De Docibi-  
le Leo episc.  
Ostiensis,  
lib. i. c. 14.

*Jacob. 5.*

spicis eos nobis de die in diem tantummodo velle illudere ; saltem tu fac secundum consilium tuum, quod scilicet inspirante Deo , ex prudenti corde salutiferum protulisti. Quidquid autem de his factum, vel non factum fuerit, aut faciendum extiterit , tuis nobis vel missis, vel literis citius indicabis; vt quæ deinceps nobis necessario sunt agenda, facilius & expeditius agamus, præparemus & ordinemus. Data quinto Idus Aprilis, indictione decima.

## EPISTOLA XL.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SERGIVM MAGISTRVM NEAPOLITANVM.

Dolet ipsum sæpe monitum fœdus cum Saracenis soluere noluisse. præcipit, vt tandem pareat. si minus, minatur se iterum eum excommunicaturum. pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se suscepturnum.

*Ioannes episcopus Sergio magistro Neapolitano.*

De Sergio  
Leo lib. I.  
cap. 42.

*Isaia. 5.*

*Philip. 3.*

**D**VM verbi Dei semen in pectore tuo etiam per me metipsum post crebros missos & literas seminassem, expectabam non verborum folia, sed fructus operum promereri : sed quia super hac parte spes nostra frustrata est, cogor in vocem Domini per Isaiam prophetam aduersus Israeliticam plebem prorumpere , clamans: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, d' non feci? an quod expectavi ut faceret tuas, fecit autem labruscas?* Verum quia, vt cum Apostolo dicam , *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est;* semel te tuosque adhuc admonere non abnuo, vt ab infidelium consortio declinetis, & a tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. *Quod si nos audieritis, non solum bona quæ cupitis, affluentius ex nobis habebitis, sed & magna præmia cælitus assequemini:* si autem, non solum nos spirituali vos iterato gladio percellemus, sed & hi , qui non sine causa materiales gladios portant , cum sint sanctæ ecclesiæ validi defensores, & feruidi zelatores, cunctis aduersis & prosperis conculcatis, aduersus vos protinus arma corripiunt, & vindices contra vos impugnatores eius celerius properabunt. *Quæ nos scientes, quia vos anima & corpore falsos reddere cupimus, hæc vobis denuntiamus, & cauenda præcipimus.*